

prodesse regionibus. Nam si viderit constellationem futuram ad annos tres vel quattuor pluviosam et frigidam largientem^{b)}, quibus blada^{c)} peribunt, fena, vindemie et huiusmodi fructuositates terre, poterit consulere populo et principibus regionis, ut provideant sibi de fetibus^{d)} annorum preteritorum et diligentius reservent et adtrahant undiquaque quibus bene deduci possint per annos steriles et futuros. Similiter^{e)} sapiens phylosophus, sciens virtutes et cursus astrorum, poterit consulere homini^{f)}, ut caveat futuram infirmitatem; verbi gracia, si videat melancoliam in corpore hominis vel coleram, que incitari posset ad magnum periculum per Saturnum supervenientem aut Martem, poterit ei consulere, ut sumat pocionem evacuativam talis materie, et sic impedire malum influxum planetarum, quantum ad effectum malum, quem facere posset. Sic ergo patet ratio similitudinis inter virum sapientem in astris et naturalibus rebus et inter prudentem agricolam vel seminatore.

Ex qua proposicione similitudinis infertur nobilitas viri sapientis, quia ipsius est regere cunctum populum regionis sue de iure sapiencie, eo quod ipse sciat, que nociva et que non, et quid equum et iniquum, et universaliter^{g)} quid rectum et obliquum, ut hoc eligat, scilicet virtuositatem et felix rectum, aut fugiat, scilicet viciosum et obliquum. Et hoc intendebat Aristoteles in prologo primi Metaphysice, cum dixit: *Sapientis est regere, non autem regi*²⁾; et Seneca: *Multos reges, si ratio te rexerit*³⁾. Sed de hac nobilitate et excellencia viri sapientis quamplurime possint adduci auctoritates, quas ad alia loca pretermitto.

Sed sciendum, quod habitus sapientis seu ipsa phylosophia dividitur in tres partes principales, ut patet VI^o Metaphysice⁴⁾, scilicet metaphysicam^{h)}, que est de principalibus et motoribus celestium sperarum et

b) *korr. aus* largitatem

c) *plada* *Hs.*

d) sibi de fetibus *eingefügt*

e) Similiter poterit *Hs.*

f) *verb. aus* hominibus

g) *am Rande verb. aus* naturaliter

h) *metematicam* *Hs.*

²⁾ J. H a m e s s e, Auctoritates Aristotelis, Senecae, Boethii, Platonis, Apulei et quorundam aliorum 1: Concordance (1972), 2: Index verborum, listes de fréquence, tables d'identification (1974); dies., Les Auctoritates Aristotelis. Un florilège médiéval. Étude historique et édition critique (Philosophes Médiévaux 17, 1974): Metaphysica Nr. 13, S. 116: *Sapientis non est ordinari, sed ordinare oportet, id est sapientis est regere et non regi*; vgl. Aristoteles Latinus 25, 1—1 a, ed. G. V u i l l e m i n - D i e m (1970) S. 8, Z. 12: *non enim oportet ordinari sapientem sed ordinare*. — Wertvolle Hinweise und Verbesserungsvorschläge verdankt Vf. auch in diesem Zusammenhang Frau Dr. S. Krüger/Göttingen.

³⁾ Ep. 37, 4; vgl. H a m e s s e, Auctoritates, Ad Lucilium Nr. 77.

⁴⁾ Metaphysik VI, c. 1, gedr. Aristotelis Opera cum Averrois commentariis Bd. 8 (1562) fol. 145 F.